



7800 43
1664, 54

FACVLTATIS JVRIDICÆ
^{P. T.}
DECANVS,
CONR. WILHELMVS
Strecker/ JC TVS,

PRÆFAT. FACVLTATIS ET JUDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR, PROFESSOR JVRIS PVBLICVS, CIVITATIS SYNDICVS, CONSVL, ET CAVSARVM TUTELARIVM
CONSVLENS.

L. B. S.

ERRORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.





CUjuslibet ferè Magistratū & judicis potestas ita
est comparata, atque suis terminis quoad per-
sonas, tempus, locum, & causas taliter est cir-
cumscripta, ut extra illas sine prorogatione &
voluntate partium litigantium expressa vel saltē tacita
ex facto aliquo proportionato à lege inducta exerce-
ri nequeat. *L. fin. ff. de jurisdict. L. 2. pr. ff. de jud.* Ita-
que prorogata jurisdictio ex consensu partium proxime
suboritur; remotè tamen provenit à lege, quæ com-
munis utilitatis gratiâ partibus permittit, alterius ac in-
competentis judicis jurisdictioni cum effectu sese sub-
mittere, quin proprii & competentis judicis consensus
exigatur. *L. 2. §. 1. ff. de jud.* Atque hæc secundum jus
Romanum ita se habere, dubio caret, sed utrum quoad
modernam rerum faciem eadem, quas Romani non
improbârunt, jurisdictionis prorogationes tolerentur,
non levis est JCTorum conflictus. Constat enim Ro-
manos imo & Priscos Germanos nostros jurisdictio-
nem, quam hodie patrimoniale vocamus, prossus
ignorasse, sed apud Romanos omnis jurisdictio tan-
quam

quam personalis ad hæredes non devolvebatur, nec administrans ad dies vitæ retinebat, sed singulis fere annis finiebatur. Apud Priscos etiam Germanos Principatus non patrimoniales, sed electios fuisse, refert Tacitus de morib. German. C. 12. Hinc rei vel prædio jurisdictionem inhærere & Romanis & antiquis Germanis monstrum videbatur; Successu autem temporis ob varias, quas passim Ddres referunt, causas, jurisdictione quibusdam propria ac patrimonialis facta est, ita ut indistinctè ad hæredes delabatur, & temporaria abierit in perpetuam. Licet igitur magni nominis JCTi non difficiantur, quod hodiernæ jurisdictionis alia plane sit conditione ac natura, & mores potissimum Germanici a moribus Romanorum recesserint, nihilominus tamen asserere non dubitant, quod hodie prorogatio jurisdictionis invitis iis, quibus prorogantes subjecti sunt, regulatiter fieri possit, quia jurisdictionis prorogationes jure Romano introductæ, nulla lege hodierna essent abrogatae, consequenter, licet facta esset hæreditaria & proprio nomine exerceretur, in reliquis tamen secundum communes jurisdictionis regulas dijudicari deberet, plures rationes in hanc sententiam adducunt. Stryck. U. M. ff. lib. 2. tit. 1. §. 22. seqq. Leyser. medit. ad pand. Vol. 1. Specim. 29. meditat. 5. Berlich. p. 1. Conc. 5. n. 31. Attamen certum esse reor, quod jurisdictione in judicem alterius Imperii vel Regni prorogari haud possit, nam si aliquis Imperatori vel etiam Principi Imperii subditus jurisdictionem judicis Galli in se vellet protrahere, nihil agit, cum prorogatio vim suam remotè mutuet ex auctoritate legis, quæ respectu subditorum alterius Rei publicæ nullam vim ac robur habet. Vinn. de jurisd. C.

10. n. 2. Gletle p. 2. panded. q. 1. n. 12. Coctej. jur. controv.
p. 1. lib. 2. tit. 1. q. 2. Idem sane dicendum est de subditis diversorum Statuum in Remano Imperio, quos inter jurisdictionis prorogatio vix procedet; Quamvis enim status Imperii suam jurisdictionem originetenus ab Imperatore derivent, illam tamen Propriam, Patrimonialem, ac territorialem habent; nec leges communes, de Prorogatione latae, in suo territorio tenentur agnoscerre, cum plenissima facultate illas reformandi & abrogandi polleant. Cui accedit, quod patrimonialis jurisdiction, quae Statibus concessa est, quoad Poenas, multetas & cætera jura fisci suis circumfluat emolumentis, quae Statibus invitis auferri nequeunt, imo ipsi praedium inhæret, ejusque pretium ac patrimonii vires auget, quod citra Dominorum consensum immuni aut interverti nullo modo potest. Quin & Privilegium de non evocando Statibus per A. B. C. 8. & 11. indultum, non patitur, ut eorum subditi alieno tribunalii sine prævio Statuum consensu sese submittere valeant. Gail. 1. O. 40, n. 2. Lauterbach. Vol. 2. diff. 66. tb. 8. n. 3. Paurneister. de jurisd. lib. 1. C. 25. n. 21. seqq. Franzk. lib. 1. resolut. 17. n. 95. seqq. Nec movent rationes in contrarium allatæ, siquidem impedimentum prorogationis, quin expressa lege inhibetur, ex ipsa illius indole ac natura fluit, ipsi enim territorio cohæret, a quo tanquam jus quæsitum sine voluntate Domini non potest avelli. Et quamvis subditus unius Status in alterius Status territorio delinquentis aut contrahens, illius jurisdictioni prorogatione tacitâ se submittat, nec ullum ramen Statibus exinde enascitur prædicium, cum nulla sit paritas inter prorogationem tacitam ex loco delicti vel contractus provenientem

nientem & expressam, quia prorogatio tacita, non tam
consensu Privatorum, quam autoritate legis principaliter
est introducta; expressa vero Principaliter consen-
su privatorum, accedente legis conniventia, accidere
solet. Constat vero, quod auctoritas legis longe sit po-
tior in danda vel auferenda jurisdictione, quam volun-
tas hominum privatorum, in quorum arbitrio non est
positum, Dominorum jurisdictionem prorogando elu-
dere vel, plane declinare posse. Admittunt praeterea
dissentientes, Domino territorii facultatem non esse
ademptam, subditis per legem prohibendi, ne extra
territorium se invicem convenient; cui non etiam di-
cimus, adesse & extare generalem seu Legem seu con-
suetudinem inhibentem, ne subditi tribunal alienum in
conventionibus agnoscant, dum Domini territoriales
vix aliud tam sollicitè & anxiè curant, quam diminutio-
nen jurisdictionis potissimum à subditis attentatam.
vid. Wernher, Vol. 3. in Supplement. ad p. 1. O. 329. pag. 739.
Hæc in jurisdictione contentiosa ita procedere, nullus
dubito; sed an voluntaria jurisdictione in alieno plane
territorio inter non subditos exerceri possit, altioris vi-
detur esse indaginis; affirmant Plurimi saltē ratione
illorum actuum, qui nullam plane requirunt causæ co-
gnitionem, qualis est testamenti insinuatio per L. 2. ff.
de offic. Procons. quia tacita quasi inter Ordines Imperii
conventione invalueret, ut judicibus licitum sit, ejus-
modi actus voluntariae jurisdictionis in loco quo cum
que etiam extra jurisdictionis sue cancellos exercere,
cum publice interesset, ne tot tantique actus retro redi-
derentur irripi. Covarruv. 3. resol. ult. n. 8. Berlich. p. 1.
decis. 29. n. 8. Tusch. tom. 4. lit. 1. Conc. 546. n. 7. Carpzov.

p. 3. decis. 293. n. 14. seq. Berger. & con. iur. lib. 4. tit. 3. ib. 1.
pag. 918. Sententia tamen contraria etiam suos inventit Patronos, in eo se potissimum fundantes, quod judex extra territorium pro privato, arg. L. fin. ff. de jurisd. L. 3. ff. de offic. præf. urb. & actus voluntariæ jurisdictionis perturbatione jurisdictionis habeantur. Gail. de pae. pub. lib. I. C. 16. n. 27. & 28. Pet. Anton. de Petra tr. de jure quæsto per Princip. non tollendo. C. 32. n. 39. de qua quæstione, aliaque simili jurisdictionis materia occasione L. I. C. de jurisd. omn. jud. fusiis publicè ex cathedra acturus est

NOBILIS ET CLARISSIMVS CANDIDATVS

D O M I N U S

CHRISTIANVS GODOFREDVS WEINLIGIVS,

Natus is Blochwitzii anno hujus saeculi nono, Patre Dn. CHRISTIANO WEINLIGO, Potentissimi & Augustissimi Regis Poloniarum & Electoris Saxonici Inspectore accisarum vigilantisimo, ac Metropolis Dresdensis Secretario s. Archigrammateo. Matre vero ANNA CHRISTINA, e familia GOTTERANA oriunda. Prima horum dilectissimorum parentum cura fuit, ut privatis privatos intra parietes Praeceptoribus ad haurienda latinitatis fundamenta traderetur, quos humili obedientiâ secutus tales fecit progressus, ut postmodum ad Scholam Electoralem Misericors fuerit translocatus, ubi sub fidelissima directione MARTII, SILLIGIT, GRABNERI, KAVDERBACHII que per quinquennium nitidiora latinitatis tyrocinia posuit. Abinde anno M DCC XXIX. ad Academiam Lipsiensem sese contulit, ubi, postquam in
nu-

numerum civium Academicorum relatus, Philosophiae, praeuentibus DDnis MÜLLERO & HOMMELIO operam dedit, prima vero ac solida jurisprudentiae fundamenta a viris Consultissimis Dominis DD. RIVINO & modo dicto HOMMELIO per integrum, & quod excurrit, biennium hausit. Biennio hoc elapsò Universitatem Wittenbergensem petiit, ibi frequentando collegia juridica virorum celeberrimorum LEYSERI, BASTINELLERI, CHLAVDENII, STVRMIIQUE solidiora jurisprudentiae principia sibi comparavit, ita, ut ante discessum, Praeside viro consultissimo STVRMIO: de emptione venditione & donatione sub modo, publicè non solum disputaverit, verum etiam examini juridicæ facultatis Wittenbergensis sese submiserit, in quo, cum dignus judicatus fuerit, cui potestas fieret, causas in foris perorandi, Dresden reversus in illustrissimo Regimine Regio & Electorali Saxonico consuetum Specimen practicum, testantibus a se productis testimonijis, anno MDCCXXXI. edidit, & porrè sub auspiciis aestimatissimi Parentis, nec non viri Consultissimi Dn. JOANNIS FRIDERICI FLEISCHERI, J. U. D. exercitiis practicis operam navavit. Tandem consilio & suau honoratissimi Domini Parentis, fideliumque amicorum ex intentione, summos in utroque jure honores ac privilegia Doctoralia rite ac legitime consequendi, ad nostram Hieranam, ea studiorum praemia appetitus sese contulit, hancque mentem suam literis facultati nostræ exhibitis exposuit. Moribus igitur majorum insistentes tempus ad examen rigorosum præfiximus, textusque ex utroque jure elaborandos ei communicavimus, quos ita resolvit ac enodavit, atque

in

in ipso examine se tales præstiterit, qui dignus judicatus fuerit, ut ad reliqua specimina inauguralia admittentur, quæ proximo die 20. Maii in auditorio JCTorum majori publice expediet, & quidem Lectionem curso-riam ad L. t. C. de jurisd. omni jud. & dissertationem in-
auguralem

DE
**JUDICE JVRISDICTIONEM
VOLUNTARIAM EXTRA TERRI-
TORIVM PERPERAM EXER-
CENTE,**

habebit. Quibus actibus ut Magnificus Dn. Rector, facultatum Decani, Assessores, Professores, Doctores, Magistri, reliquique cives academicci intersint, ea, qua par est, humanitate invitantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis Juridicæ Dominica Jubilate 16. Maii anno M DCC XXXIV.



ULB Halle
005 355 729

3



1996
A

4158



7800. 1664, 54 43

FACVLTATIS JVRIDICÆ
P. T.
DECANVS,
CONR. WILHELMVS
*S*treder / JC Tvs,

PRÆFAT. FACVLTATIS ET JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSOR, PROFESSOR JVRIS PVBLICVS, CIVITATIS SYNDICVS, CONSVL, ET CAVSARVM TVTELARIVM CONSULENS.

L. B. S.

ERRORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.